

distribuendam inter vxorem, & filiam reliquit, vt vxor haberet $\frac{2}{3}$. filia autem $\frac{1}{3}$. sed si forte filius rediret, vt filius $\frac{2}{3}$. haberet. Accidit autem, vt filius reuerteretur. Qua igitur ratione dicta hæreditas diuidenda est, vt voluntati testatoris satisfiat? Certum est, quæstionem hanc non posse intelligi, vt verba sonant. Nam si filius accipiat $\frac{2}{3}$. non poterit vxor habere $\frac{2}{3}$. & filia $\frac{1}{3}$. Quare omnes Arithmetici voluntatem testatoris interpretantur, vt voluerit, filium duplo plus debere habere, quàm vxorem, & vxorem duplo plus, quàm filiam. Id quod proportio harum minutiarum $\frac{2}{3}$. $\frac{1}{3}$. quæ dupla est, (continet enim minutia $\frac{2}{3}$. minutiam $\frac{1}{3}$. bis.) indicare videtur. Itaq; numerus 18088. secandus est in tres partes, ita vt prima contineat secundam bis, & secunda tertiam etiam bis, hoc est, quæ habeant continuam proportionem duplam. quod hoc modo fiet. Pone tertiam esse 1. Erit ergo secunda 2 & prima 4. quæ omnes faciunt 7. Dic igitur. Si 7. dant 18088. quid dabunt 4. 2. & vt hic vides.

$$7. \quad 18088. \quad \left\{ \begin{array}{l} 4^? \\ 2^? \\ 1^? \end{array} \right\} \text{ fiunt } \left\{ \begin{array}{l} 10336. \text{ filij.} \\ 5168. \text{ vxoris.} \\ 2584. \text{ filia.} \end{array} \right.$$

Quæst. 22.

22. Tres crumenam inuenerunt cum 3042. aur. quos ita inter se distribuerunt. Primus accepit $\frac{1}{2}$. secundus $\frac{1}{3}$. & tertius $\frac{1}{4}$. Quid ergo quisq; accepit? Hic etiam perspicuum est, quæstionem non posse intelligi, vt sonat. Si namq; primus accepisset $\frac{1}{2}$. & secundus $\frac{1}{3}$. non potuisset tertius accipere $\frac{1}{4}$. Nam hæ tres minutia effi-